

jam a. 1203 legatus pontificius J. de Casamaris commendat, ut ibi vice episcopi Slavi, si »posset fieri... aliquis Latinus ibi poneretur;⁵⁹ immo ut adhuc »ibi tres vel quatuor crearentur novi« episcopatus.⁶⁰ Triginta autem annis postea ille timor legati Joannis, ne et clerus cum episcopo in errorem incideret, verificatus est. Anno enim 1232 Gregorius IX praecipit archiepiscopo Colocensi, episcopo Zagradiensi et praeposito S. Laurentii Colocensis dioecesis, ut de episcopi bosnensis excessibus inquirant ipsumque certiore reddant, quia, ut audivit, ille est »litteralis expers scientie, ac hereticorum publicus defensor«. ⁶¹ Sequenti vero anno (1233) post inquisitionem a pontificio legato Jacobo Praenestino peractam et ejusdem episcopi bosnensis futilem excusationem, se nempe id ex simplicitate fecisse, Gregorius IX statim eum deposuit ⁶² ejusque loco Joannem de Wildhausen, O. P., posuit, ⁶³ dioecesim autem ipsam immediate Sedi Apostolicae subiecit. ⁶⁴ Sed haec actio, quae ecclesiam bosnensem magis ligare debuerat Ecclesiae Romanae, contrarium effectum sortita videtur. Etenim, commemoratio novi episcopi latini in Bosna hoc tempore valde aggravata esse debebat, cum necesse fuerit eidem quaedam bona extra dioecesim in Slavonia donare, ut ipsi sit »in subsidium« ⁶⁵ quo etiam migrare jam medietate saeculi ejusdem debuerat. ⁶⁶ Hoc proprie tempore Šidak jure atque merito tenet et ultimum ligamen ecclesiae bosnensis cum ca-

⁵⁹ Theiner, Mon. Slav. Mer. I, 19 n. 34.

⁶⁰ Ibidem.

⁶¹ Smičiklas T., Codex diplomaticus regni Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae III, Zagreb 1905, 361—362 n. 315.

⁶² Theiner, Mon. Hung. I, 113 n. 192. »Episcopus tamen de Bosna, prout inquisitionis tue processu diligenter examinato didicimus, qui dux aliorum esse debuerat, dampnabiliter prevaricans legem Christi ad doctrine incidit amanitudinem insensate«.

⁶³ Rački, Bogomili i Patareni (editio Srpske kralj. Akademije, 1931), 405; Smičiklas, Codex diplomaticus, III, 412 n. 356.

⁶⁴ Rupčić, o. c. 3 nota 11.

⁶⁵ Smičiklas, Codex diplomaticus, IV, 94 n. 87; Theiner, Mon. Slav. Mer. I, 297—298 n. 418; Idem, Mon. Hung. I, 172 n. 311.

⁶⁶ Šidak, o. c. 142; Smičiklas, Codex diplomaticus, IV, 494—495 n. 430.